

CAPUT IV.

DE MISSAE CULTUIQUE DIVINO INSERVIENTIBUS.

§ I. — *De officio Sacristae.*

570. Superioris est unum ex Sacerdotibus Sacristiae praeficere, cui, praesertim in maioribus coenobiis, Fratrem Laicum socium addere poterit. In parvis conventibus sufficere etiam potest, si Frater Laicus deputetur. Hi ad minima quoque cultum divinum respicientia diligenter et religiose incumbere debent.

571. Mane Sacristae omnes praeveniant, ut necessaria disponant pro Missarum celebratione aliarumque functionum, si quae faciendae sint. Depromant ex armariis apparatus pro numero Missarum celebrandarum, illosque super mensas armariorum, aut alias ad id paratas ordinate disponant.

572. Mensae, super quas apparatus disponi debent, sint tapete, aut saltem tela cerata obductae; in festivitibus autem principalioribus mappa nitidiore laciniis ornata obtegantur.

573. Amictus, Albae, Cingula et purificatoria, singulis Sacerdotibus distincta assignentur. Hinc in nostris Sacristiis habeantur, vel in armariis vel alibi, tot capsulae, in quibus pro singulis separata asserventur.

574. Calices cum respectivis Patenis et pallis Sacrista praeparet iuxta Planetarum numerum, et unumquemque velo serico cooperiat, cui superimponat bursam eiusdem coloris cum Planetis, prout Officium diei requirit.

In parte superiori bursae assuta sit Crux, et intus totaliter inclusum adsit Corporale bene plicatum, ita ut pars externa, quae limbo apparet ornata, sit ad aperturam ipsius, super quam velum reflecti debet, et quae semper debet Sacerdotem respicere.

575. Purificatorium et hostiam, licet ipse Sacerdos celebraturus ex Rubrica Missalis deberet Calici superimponere, poterit tamen iuxta probatos Auctores tolerari usus talia efficiendi a Sacrista.

576. Ita, quamvis ex eadem Rubrica Sacerdos Missam inquirere et conspicere debeat antequam manus lavet, conveniens tamen est, ut Sacrista Missalia praeparando quot necessaria sunt, in ipsis Missam, Commemorationes, Collectas, Praefationem etc. inquirat, et omnia distincte et ordinate signaculis adnotet, ne Sacerdos cogatur folia Missalis a vertice ad imum forsan revolvere.

577. In capsula sive metallica, sive ex alia materia, sed perpolita, et intus vel serico, vel linteo panno obducta, paratae habeantur hostiae integrae, rotundae et a fragmentis detersae, rotula plumbea eodem modo ac capsula vestita compressae, quot pro numero Missarum necessariae sunt.

578. In promptu sit superpelliceum lineum, cum Stola et bursa coloris Officii currentis, et in bursa Corporale mundum pro Communionem administranda extra Missam.

579. Pro Missa conventuali convenientior apparatus et Calix pretiosior dispositus sit, una cum superpelliceo pro Inserviente. Item convenientiora paramenta pro advenis, praesertim graduatis parata sint.

580. Antequam prima Missa incipiat, Sacrista clavem Tabernaculi ad Altare deferat, eamque in cornu

Epistolae collocet sed prope Tabernaculum ipsum, ubi et paratum erit vasculum coopertum cum aqua munda, et purificatorium pro purificatione digitorum Sacerdotis post distributionem SS. Eucharistiae extra Missam.

581. Si consecrandae sint particulae, eas deferat pariter ad Altare Sacrista clausas in Pyxide non solo conopeo obiecta, sed aut linteo, aut velo serico, ipsamque ponat in cornu Evangelii. in Pyxide particulae integrae, rotundae, et a fragmentis mundatae ita dispositae sint, ut facile Sacerdos Communionem administrans singulas haurire possit.

582. Attendat Sacrista, ut Species sacramentales saepe renoventur, et Pyxides ac lunula Ostensorii etc. saltem alternis hebdomadibus purificentur.

583. Curet quoque Sacrista, ut velum Tabernaculi respondeat colori paramentorum: nunquam vero sit nigrum, sed cum Missa sollemnis pro Defunctis dicatur in Altari SS. Sacramenti, sit violaceum¹.

584. Sacrista vel Socius, antequam Missae celebrari incipiant, lampadem SS^mi Sacramenti expurget, et si quae aliae per Ecclesiam accendendae sint, accendat; singulas a pulvere detergat, et novum in ipsas oleum infundat. Vigilet praeterea, ut diu noctuque ante SS^mum Sacramentum lampas semper coluceat.

585. Altaria detegat, ipsaque peniculo detergat a pulvere, foliis florum, etc., legile in cornu Epistolae disponat, et duo candelabra parva pro Missis in extremitate Altaris utrinque collocet.

¹ S. Rit. C. 1 Decemb, 1882, in una Nesqualien.

586. Valde conveniens esset, ut tempore, quo Missae aliaeque functiones celebrantur, gradus aut saltem suppedaneum Altarium, et praecipue Altaris maioris operirentur tapete; quod maius et pulchrius in festivitatibus esse decet.

587. Ampullas (quas ex vitro aut crystallo albo ordinarie esse oportet, ne aqua cum vino facile confundatur) antea in Sacristia praeparatas, deferat cum suis pelviculis et manutergiis mundis ad Altaria, omniaque deponat super abacum, seu mensulam. Ampullas praeparans, observet, an vinum acescere incipiat, aut corrumpi, et in casu provideat.

588. Praeparet item candelas necessarias ex cera confectas pro Missis celebrandis, vel in candelabris ad Altaria, vel in Sacristia binas et binas dispositas, ut ordo et symmetria servetur.

589. Hisce peractis, nec prius nisi circumstantiae speciales aliud exquirant, ianuas Ecclesiae aperiat; et ad Sacristiam reversus vigilet, ut cuncta ordinate procedant.

590. Diebus Dominicis, ante Missam conventualem, disponet: in Sacristia omnia necessaria ad aquam lustralem benedicendam a Celebrante, vel ipse benedicat: item paret Amictum, Albam, Cingulum et Stolum coloris Officio diei convenientis, et Pluviale eiusdem coloris (Vid. n. 1021); superpelliceum pro Clerico, vas cum aqua et aspersorium. In Presbyterio, super credentiam prope Altare maius in cornu Epistolae, Planetam cum Manipulo et instrumentum pacis; librum autem aut tabellam pro Versiculis et Oratione poterit vel super credentiam ipsam vel super Altaris suppedaneum, ut facilius Cle-

ricus Sacerdoti praebere possit, collocare. In Altaris medio dispositus sit Calix super Corporale explicatum; bursa in cornu Evangelii; et in cornu Epistolae Missale apertum supra legile; accendantur candelae quatuor.

591. Diebus, quibus Missa cum incenso celebranda est, praeparet in Sacristia praeter apparatus distinctum et nobiliorem, superpellicea pro Acolythis et Thuriferario: thuribulum cum navicula etc.; et in Presbyterio super credentiam instrumentum pacis: et in superiore ordine accendat candelas sex.

592. Quando danda est benedictio cum SS^mo Sacramento, praeparentur in Sacristia: pro Celebrante Amictus, Alba cum Cingulo, Stola et Pluviale albi coloris; vel loco Albae superpelliceum, attamen cum Amictu, non ad operiendum caputium, sed caput tam in eundo quam in redeundo, Sacerdos enim paratus debet incedere tecto capite; item superpelliceum cum Stola alba pro Sacerdote assistenti ad expositionem et repositionem faciendam; insuper superpellicea pro Acolythis et Thuriferario, thuribulum, etc. Deferantur in Presbyterio super credentiam Velum humerale et liber Orationum, qui poni poterit etiam super suppedaneum Altaris. Super Altare ponatur in cornu Evangelii Ostensorium linteo vel serico velo obductum, bursa cum Corporali, quod extendi debet a Sacerdote assistente, et clavis Tabernaculi in cornu Epistolae.

593. Missis caeterisque functionibus absolutis, Sacrista Albas et alia lintea plicet ac in respectiva armaria reponat: Planetas et alia paramenta in armariis pariter collocet, sed suspensa vel strata nec nimis plicata, et

tegmine aliquo cooperiat, ut melius conserventur. Ea autem, quae raro adhibentur, locis magis reservatis teneantur, nec depromantur, nisi cum ad functiones necessaria sunt: aliquando tamen infra annum exponantur aeri, ne deperiant.

594. Diligenter, antequam omnia reponat, observet, utrum aliquid vel dissutum vel scissum forte inveniatur, et curet, ut statim reficiatur: maxime enim indecorum est, aliquid tale in sacris functionibus adhibere.

595. Calices interius, si sit Sacerdos aut in Sacris constitutus, non vero si Clericus aut Laicus, exteriisque, sicuti et alia vasa sacra, antequam reponat, subtili linteo ad hoc designato detergat, in respectivis hinc thecis claudat, advertens, ut unaquaeque Patena suo Calici iungatur, et in scrinia omnia reponat, clavibusque obseret.

596. Ampullas et pelvulas collectas quotidie lavet, atque ut exsiccentur, suspendat: semel vero in hebdomada aut plumbeis globulis, aut ovorum testis contusis, vel alia materia melius expurget.

597. Missalia non prius reponat, quam inspexerit utrum folia et signacula sint rite composita: neque permittat, ut aliquis Missalia aut Ritualia vel alios libros a Sacristia in cellas aut alio deportet, nisi rationabili ex causa et ad breve tempus.

598. Cumque Sacrista prae caeteris decorem domus Dei ex officio diligere debeat, sic et quam magis ipsi cordi sit oportet, ut et caetera omnia ad cultum spectantia munditie et nitore effulgeant. Hinc:

599. Ecclesiam bis in hebdomada, atque vigiliis festorum de praecepto, et saepius Sacristiam per se vel

per alios everret. Sed antea tegat Altaria, velum Tabernaculi alio tegumento operiat, flores artificiales ex Altaribus amoveat alioque reponat; et sic tollat ex mensis in Sacristia mappas ac tapetes, scriniaque claudat.

600. Chorus saltem bis quoque in hebdomada everratur ab Acolythis, ad quos ipsius mundities specialiter spectat: ast in coenobiis, ubi nec Clerici nec Sacerdotes studentes adsunt, hoc quoque praestare tenetur Sacrista, nisi quis a Superiore ad hoc deputetur.

601. Cum pulvis omnino consederit, Altaria, confessionalia, cancellos, subsellia, armaria, scrinia ab ipso expurganda erunt vel linteis panniculis, vel peniculo. Quae autem ex laevato ligno confecta sunt vel caelaturis ornata, leniter abstergantur, et postea laneo panniculo oleo intincto depoliantur.

602. Sed et quotidie vel Missis absolutis, vel post prandium, a pulvere detergenda sunt omnia sive in Sacristia sive in Ecclesia.

603. Quotidie pariter abstergendae erunt lampades; et singulis hebdomadibus in ipsis renovandum oleum. Aliquoties autem infra annum, et praecipue ante principales solemnitates lixivio laventur, et postea pulvere vulgo tripolo perpoliantur: eodemque pulvere itidem saepius depoliantur caetera utensilia metallica, uti thuribulum, navicula, vas aquae benedictae etc., et si quae sunt metallica ornamenta sive in Sacristia sive aliis in locis.

604. Aliquoties in anno, praesertim vero ante solemniore festivitates, parietes quoque, fornices et ipsa testudo sive Ecclesiae, sive Chori, sive Sacristiae, aut scalis admotis, aut scopis longurionis immissis, a pulvere et araneis emundentur.

605. Altaria, quae generatim secundum nostram consuetudinem ex ligno confecta sunt, saepe omnibus ornamentis denudata expurgentur et perpoliantur. Candelabra saepe a pulvere et a cera detergantur, sicuti et credentiae, armaria, scrinia intus et foris.

606. Calices, Patenas, Pyxides etc. semel saltem in anno Sacrista prius lavet aqua calida simplici, quae postea in Sacrum mittenda est: hinc cum aqua calida et sapone, aut tenui lixivio, molli adhibito penicillo, in caelaturis et angulis expurget: (non tamen longo temporis spatio in lixivio teneat, ne deteriant): panniculis inde lenibus abstergat; ac tandem aqua munda denuo lavet, et aeri exponat ut exsiccetur.

607. Linteamina semper munda et candida sint; hinc purificatoria singulis hebdomadibus, Amictus hebdomadibus alternis, Corporalia quae pro tribus aut quatuor Missis quotidie inserviunt alternis pariter hebdomadibus, sin singulis mensibus mutantur. Albae, si singulis Sacerdotibus assignatae sint, tertio quoque mutantur mense: sin autem saltem secundo. Mappas Altarium superiores singulis mensibus, inferiores bis saltem in anno mutari conveniens est.

608. Corporalia, pallas et purificatoria Sacrista, si sit Sacerdos, per se lavet, aut ab alio in Sacris constituto lavare faciat, antequam aliis lavanda tradantur; et aquam in Sacrum immittat.

609. Quando linteamina et alia vestimenta sacra non amplius suo fini inserviunt, et qua detrita ad nullum sacrum usum apta sunt, ne profanationi exponantur, Sacrista, Superiore prius admonito, igne comburat.

610. Quae autem certis temporibus, festivitibus, et pro quibusdam functionibus a Sacristis peragenda aut paranda sunt, suis locis in hoc Caeremoniali deprehendent; sed et optimum erit, ut in Sacristia commentariolum habeant, in quo omnia adnotata sint.

§ II. — *De officio Inservientium Missae privatae.*

611. Praestantissimum obsequium est eorum, qui sacrosancto Missae Sacrificio inserviunt: quum enim Deo ipsi, qui in SS. Eucharistiae Sacramento praesens est, ministrent, Angelorum plane ministerium implent. Induantur proinde, in quantum fragilitati humanae licet, puritate, moribus, incessu et gestibus Angelorum, et angelicam prorsus totius corporis compositionem, quum ad hoc ministerium accedunt, praeseferant.

612. Minister ante Sacerdotem celebraturum se confert in Sacristiam, ut ibi necessaria provideat. Genuflexus et orans expectat Sacerdotem, cui accedenti pallium ex humeris demit illudque decenti loco reponit, et Sacerdoti assistit in manibus abstergendis.

613. Ad sinistram Sacerdotis stans, illi porrigit Amictum. Deinde Albam Sacerdotis humeris imponit, dextera manica primum, deinde sinistra aliquantulum elevata, quo Sacerdos commode iis indui possit. Cingulum duplicatum tali modo tergo applicat, ut eius extremitates ad dexteram dependeant. Albam ita componit, ut ex omni parte aequaliter et apte pendeat, eamque circumcirca duorum fere digitorum spatium a terra elevat; Manipulum imponit brachio sinistro et chordulis ligat. Stolum illi praebet ita, ut facile Crucem, quae est in medio,

osculari possit: Sacerdos autem sibimet ipsam collo imponit; advertat Minister tamen, ne supra Planetam exporrigat. Casulam supra credentiam ita adaptet, ut Sacerdos eam sumere et sibi imponere sine incommodo valeat: hinc eam parum elevet a tergo, ut Sacerdos possit facilius chordulis sibi circumcingere, et ligare.

614. Sumit Missale, et utraque manu in extremitatibus inferioribus tenens ante pectus paululum elevatum portat, apertura ipsius ad suam sinistram versa.

615. E loco discedens, simul cum Sacerdote facit profundam inclinationem versus Crucifixum, et mediam versus Sacerdotem, quem praecedit. Ubi ad vasculum aquae benedictae pervenerit, intinctis in ea digitis manus dexterae, Sacerdoti porrigat, deinde seipsum signet.

616. Cum ad Altare pervenerit, locum det Sacerdoti ut libere transeat; ad dexteram ipsius se collocet, et cum eo faciat genuflexionem, si in Altari fuerit SS. Sacramentum, secus reverentiam profundam; et tenens manu dextera Missale, elevet sinistra extremitatem Albae et vestis Celebrantis in parte anteriori, ut libere ascendere possit ad Altare: (quod semper faciet quando-cumque Sacerdos gradus ascendit); et incedens gradum unum post eum, ascendat et ipse in suppedaneum, et Missale super cussinum vel legile ponat, non apertum sed clausum, apertura ipsius versa ad medium Altaris.

617. Accendat deinde candelas, non in medio Altaris, nec prope medium, sed in utroque latere seu extremitate, prius in cornu Epistolae, postea ad partem Evangelii; et deposita arundine, si ea usus sit, geniculabit in plano fere cubitum unum ab infimo gradu Altaris, et duos fere a Sacerdote, in cornu Evangelii.